ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Nobiliss. ac Generose Vir

Ut intellexi te, diu nimiumque absentem, salvum atque incolumem rediisse in Patriam; nec animum nec calamum cohibere potui, quin tibi studiorum meorum singularissimo Patrono gratularer; simulque progressus meos, paulo latius, quam ante aliquot dies feceram, aperirem. Heri cum Heroe Descartio mediam diem in colloquiis Musicis consumpsi: qui me mire acriterque instigabat, ut Theoriam ad praxim illam redigam, quâ Vocalis, atque Instrumentalis Musica Flexanima modulatio inclaresceat. Eâ in tantum profeci, ut ex divisione Monochordi, omnes Harmonicos cantus, minutioribus intervallis, ceu vocis gradibus, hoc est, + utroque Tono & Semitoniis majore, minore, ac minimo (quod & Diesis Harmonica nobis dicitur) modulandos, expeditiori viâ luculentissime demonstrem. Et primo quidem vivae Vocis flexio, proportionalibus asperae arteriae partibus; tum capacitate Laryngis, ubi formatur; tum adaequatâ dilatatione, ac constrictione formatricis Pharyngis, respondens: ipsaque ars concinne Cantandi, exiguô tempore, nulloque negotiô, doceri atque apprehendi poterit. Experimenta istius rei viris Clarissimis Golio & Falcoburgio, Anatomica subsidia mihi praebentibus, ad oculum ostendi. Deinde vero, etiam Organa, Cymbala, Testudines, Chelys, atque alia instrumenta, iisdem plane harmonicis gradibus intervallisque instructa, voci ad amussim respondentia, fabricari poterunt. Ut nihil sit quod Flexanimae Musicae deesse queat. Experimenta post aliquot septimanas praesto erunt: quae data occasione tibi spectanda pulsandaque offeram. Et quoniam tam avide expectabas intelligere, quantum in studiô Musicô profecissem; nec unicô epistoliô omnia perscribi poterant; placuit hocce alterum addere: quo tuis desideriis abundantius satisfaciam, et me tuo favori firmius

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bannius) 4
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2263

innectam. Quippe qui pro ingenita tibi virtute, cum sum-
mâ animi voluptate, soles studiosorum ingenia, eorumq
conatus non solum amare; verum etiam fovere, omniq
benevolentiâ prosequi: donec partum eorum bono publi-
co feliciter natum videas. Tuâ igitur obstetricante
manu, scientiam hanc Artemq liberalem in Lucem editam,
contra mechanicorum hominum sinistra judicia tuendam
arbitror: ne ab ignorantibus insulsè explosa, Philomusis
etiam prima fronte sordescat. Tantum est ut te pre-
cipuè Mecoenate Christiana Respubl. feliciter conserve-
tur. Vale, vir nobilissime, & me (ut soles) ama.

Nob. ac generose D. T.

Servus

Jo. Alb. Bannius

Harlemi xvii kal. Novemb.
CIↃ. IↃC. XXXIX.

1639.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bannius) 4
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2263

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bannius) 4
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2263

Nobiliss.º ac Generoso
Viro
D. Constantino Hugenio
Equiti,
Domino in Zulicom,
Consiliario & Secretario
Suæ Celsitudinis.

Hagæ-Comitis

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bannius) 4
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2263